



Summo constituto bono in Philosophia morali, constituta sunt omnia, inquit parens Eloquentiæ s. de finib. B. & M.

II. Hinc etiam omnes homines, modò mente non sint capti omninò, consilia sua cuncta, actionesq; omnes eò dirigunt, ut Summum Bonum seu ipsam felicitatem aliquando assequi, & laborum fructus reportare dignos queant.

III. Moti ergò dignitate & præstantia hujus materiæ, de ea in præsentia Theses quasdam publico subjicere Examinis, instituimus.

IV. Verùm quod in Proverbio dicitur: χαλεπὰ τὰ καλὰ, id quoque de hoc argumento verissimè affirmari potest; Etenim ut istud longè pulcherrimum sit: Ita magna conjunctum est cum difficultate.

V. Quæ ut aliqua ex parte mitigetur, expeditissimam methodum diligentius persequemur; Et primò omnium εἰ ἐστὶ An sum. B. seu ultimus finis hominis sit, ostendemus. Deindè varia nomina S. B. præmittemus; Tandem τί ἐστὶ quid illud sit, partim per ἀναίρεσιν remotionem aliarum opinionum; partim per θέσιν positionem Aristotelis Sententiæ, planum faciemus.

VI. Hisce ita finitis, breviter etiam; adjungemus quasdam theses de Summo hominis malo seu miseria.

VII. Dari verò ac in hominis naturam cadere S. B. duæ in primis rationes probant. Nam primò: Cuicunq; unum contrariorum verè & jure tribuitur, eidem etiam alterum contrarium tribui potest: Sed homini miseria aliquando & verè quidem tribuitur. E. eidem etiam aliquando felicitas verè tribuitur.

VIII. Præterea dantur fines subordinati, quorum alter est alterius gratia. Ne igitur detur progressus in infinitum,

tum,